

Hic est Filius meus dilectus.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Marcum

9, 2-10

In illo témpore:

- ² Assúmit Iesus Petrum et Iacóbum et Ioánnem,
et ducit illos in montem excélsu seórsum solos.
Et transfigurátus est coram ipsis;
³ et vestiménta eius facta sunt splendéntia,
cándida nimis,
quália fullo super terram
non potest tam cándida fácere.
- ⁴ Et appáruit illis Elías cum Móyse,
et erant loquéntes cum Iesu.
- ⁵ Et respóndens Petrus ait Iesu:
«Rabbi, bonum est nos hic esse;
et faciámus tria tabernácula:
tibi unum et Móysi unum et Elíæ unum».
- ⁶ Non enim sciébat quid respondéret,
erant enim extérriti.
- ⁷ Et facta est nubes obúmbrans eos,
et venit vox de nube:
«Hic est Fílius meus diléctus;
audíte illum».
- ⁸ Et statim circumspiciéntes
néminem ámplius vidérunt
nisi Iesum tantum secum.
- ⁹ Et descendéntibus illis de monte,
præcépit illis, ne cui, quæ vidíssent, narrárent,
nisi cum Fílius hóminis a mórtuis resurréxerit.
- ¹⁰ Et verbum continuérunt apud se,
conquiréntes quid esset illud:
«a mórtuis resúrgere». — Verbum Dómini.